



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. III. Præcipuæ objectiones solvuntur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

211. Tertiã verò sequitur ex præcedentibus: Nam homo in natura pura teneretur, & posset diligere Deum super omnia: Sed ad hoc non haberet auxilium supernaturale, neque sufficeret generalis concursus, ut jam ostendimus: Ergo requireret auxilium speciale ordinis naturæ.

Confirmatur: Observantia & executio omnium mandatorum peteret speciale auxilium in illo statu naturæ puræ: Ergo & intentio efficax illam virtualiter & continens & causans.

Confirmatur ampliùs: Actus ille efficax dilectionis Dei ut authoris naturæ, esset perfectissimus, & summus intra ordinem naturæ: Ergo ad sui elicentiam auxilium speciale ejusdem ordinis exposceret. Consequentia illa sufficienter patent ex supra dictis.

§. III.

Præcipua objectiones solvuntur.

212. **O**bjicies primò contra primam conclusionem: D. Thomas 1. p. quæst. 60. art. 5. ad 5. in Angelo peccante admittit dilectionem naturalem Dei super omnia: & in 2. dist. 33. qu. 2. art. 2. ad 5. illam etiam admittit in animabus puerorum in Lybmo existentium; & tamen illi per culpam originalem à Deo, etiam ut authore naturæ, averfi sunt; sicut & Adamus peccando à Deo authore naturæ mansit averfus: Ergo efficax dilectio Dei ut authoris naturæ, cum peccato potest componi, subindeque propriis naturæ viribus elici.

213. Respondeo duplicem dari posse amorem Dei super omnia, & utrumque esse naturalem, licet diversimodè: unum à voluntate ut natura est procedentem, quo Deus necessariò quoad specificationem ut bonum universale totius creaturæ diligitur, quia prout sic odio haberi non potest: alterum qui est à voluntate ut potentia libera & electiva, quo Deus amore electivo & libero ut amicus & universalis legislator amatur; qui amor non ideò naturalis dicitur, quia necessarius, sed quia terminat naturalem appetitum, & quia circa objectum naturale, Deum scilicet ut conditorem naturæ, versatur. Quando ergo S. Thomas, locis citatis, in Angelo peccante, & animabus puerorum in Lybmo existentium, admittit naturalem Dei dilectionem super omnia, loquitur de prima dilectione, quam fatemur cum peccato posse componi, & solis naturæ viribus elici: non verò de secunda, de qua solum in præsentibus disputamus. Adde quod hic agimus de amore benevolentia: amor verò Dei, qui in Dæmonibus à D. Thoma ponitur, non est amor benevolentia, sed concupiscentia: cum enim Dæmones necessitentur ad diligendum seipsos, & nequeant proprium esse diligere, nisi diligant esse Dei, per quod proprium sustentatur & conservatur, necessitantur ad diligendum Deum amore concupiscentia, in quantum est bonum commune totius universi, & in quantum proprium ipsorum esse ab esse Dei dependet, ut declarat S. Doctor 1. p. quæst. 63. art. 1. ad 3. his verbis: *Naturale est Angelo quod convertatur motu dilectionis in Deum, secundum quod est principium naturalis esse &c.*

214. **O**bjicies secundò: Homo lapsus potest solis naturæ viribus patrem, filios, amicos, & falsos deos, plusquam seipsum, atque adeò super omnia diligere; cum variis exemplis conset multos pro illis morti se objecisse, & majorem charitatem nemo habeat (ut loquitur Scriptura) quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis: Ergo

Tom. I V.

A multò magis poterit ex solis viribus naturæ Dei, quem naturali lumine cognoscit esse magis diligendum, super omnia diligere, & pro ejus gloria velle mori, & de factò morti se tradere.

215. Respondeo primò negando Antecedens. Et ad ejus probationem dico, eos qui pro falsis diis, vel suis hæresibus, aut patria, vel filiis, aut amicis, morti sese obrulerunt, famam, aut gloriam, vel quid simile in voluntaria illa vitæ jactura quæsiisse, sicque non plus dilexisse prædicta, quam seipsos. Unde Augustinus lib. de patientia cap. 17. ait *quemque iniquorum tantò esse ad quæcumque mala perferenda duriores, quantò in eo major est cupiditas mundi. & quemque iustorum tantò esse ad quæcumque mala perferenda fortiores, quantò in eo est major charitas Dei.* Et rursus: *Quantò major est in sanctis charitas Dei, tantò magis pro eo quod diligitur, omnia tolerantur; & quantò major est in peccatoribus cupiditas mundi, tantò magis pro eo quod concupiscitur, omnia tolerantur: ac per hoc inde est patientia vera iustorum, unde est in eis charitas Dei, & inde est patientia falsa iniquorum, unde est in eis cupiditas mundi.*

B Respondeo secundo, dato Antecedente, negando Consequentiam: quamvis enim homo posset diligere plusquam se aliquod bonum creatum, non sequitur quod etiam possit diligere Deum: non solum quia Deus est magis separatus à bonis sensibilibus, quæ efficacius nos movent, sed etiam quoniam dilectio boni creati non postulat quod relinquatur omnia peccata mortalia, quæ etiam connumerantur inter bona quæ pertinent ad ipsum hominem; quia motivum propter quod committuntur, est aliquod bonum appetitum; dilectio verò Dei super omnia, & efficax, nullum peccatum mortale, sive actuale, sive habituale, sive originale compatitur.

216. Ad illud quod additur, nimirum intellectum posse naturaliter cognoscere Deum esse super omnia diligendum, subindeque voluntatem, quæ est appetitus rationalis, ductum seu dictamen rationis sequens, posse solis naturæ viribus ipsum supra quodlibet aliud diligere, dicendum est, quod licet intellectus possit speculando ad talem notitiam devenire ex principiis naturalibus, non potest tamen habere judicium practicum & prudentiale, in statu corruptionis, quo judicet Deum esse hic & nunc super omnia diligendum, nisi speciali auxilio Dei adjuvetur: quia, ut art. 1. ostendimus, homo per peccatum originale magis est vulneratus in intellectu practico, quam in speculativo, & magis impotens ad prosecutionem boni, quam ad cognitionem veri, juxta illud Poëtæ: *Videò meliora, proboque, deteriora sequor.*

217. Ad aliud quod subditur, negandum est posse aliquem, in peccato mortali remanentem, velle **E** in re ipsa mori pro Deo, quia implicat quod aliquis maneat in peccato, & tamen præferat Deum omnibus aliis rebus; quod tamen facit qui verè vult pro ipso mori, cum vita sit omnium bonorum corporalium maximum. Unde licet ille verbo tenè diceret se velle mori pro Deo, in rei tamen veritate tolerantiam mortis ad seipsum, vel ad bonum proprium ordinaret, incipiendo illud specialiter querere vel in gloria & commendatione apud homines, vel in evitacione miseriarum hujus vel alterius vitæ. Nec obstat quòd D. Thomas quodl. 4. quæst. 10. art. 1. doceat, etiam illum qui caret charitate posse pati martyrium; loquitur enim de martyrio improprie & materialiter sumpto, prout dicit solam tolerantiam mortis;

H ij

non verò de vero & propriè dicto martyrio, pro Deo reipsa tolerato, nam 2. 2. quæst. 124. art. 2. ad 2. expressè docet, quòd *martyrium est actus charitatis ut imperantis, fortitudinis autem ut elicentis.*

Dixi verò, aliquem in peccato mortali remanentem, non posse reipsa velle mori pro Deo: quia si peccator mortem tolerando, non excludat ejus relationem in Deum, nec eam ordinet ad bonum proprium, ut ad ultimum finem, justificabitur vi martyrij, ut probabiliter docetur in materia de baptismo, & adeptà gratià sanctificante, poterit exire in actum dilectionis Dei super omnia.

218. Obijcies tertio: Si homo in statu naturæ lapsæ non possit sine gratia diligere Deum ut authorem naturæ, sequitur quod talis dilectio non sit naturalis, sed supernaturalis: At hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris manifesta videtur: ille enim actus ad quem requiritur gratia, est supernaturalis.

219. Respondeo negando sequelam Majoris. Ad cujus probationem dico, actum ad quem gratia requiritur per se, & per modum principij elicitive illius, esse supernaturalem; secus verò si gratia exigatur tantum per accidens, & tanquam removens prohibens: gratia autem per se non requiritur ad dilectionem efficacem Dei ut authoris naturæ, sed tantum per accidens, ratione elevationis naturæ humanæ ad ordinem supernaturalem, & conjunctionis finis naturalis cum supernaturali, & ad tollendum obicem peccati & aversionis à Deo ut ultimo fine, sicut assertione 2. declaravimus.

220. Obijcies quartò: Si homo in statu naturæ lapsæ non possit, nisi cum auxilio supernaturali, diligere Deum ut authorem naturæ, sequitur quod in eo statu minores habeat vires in ordine ad bonum morale, quàm habuisset in statu naturæ puræ: Sed hoc dici nequit, ut in Tract. de statibus naturæ humanæ ostensum est: Ergo nec illud. Sequela Majoris probatur: Homo in statu naturæ puræ, cum auxilio speciali ordinis naturalis, poterat hanc dilectionem elicere: Ergo si in statu naturæ lapsæ ad eam elicendam indigeat auxilio supernaturali, erit minus potens in hoc statu quàm in illo.

Disp. 4.
art. ult.

221. Respondeo negando sequelam. Ad cujus probationem dico, quod licet homo in statu naturæ lapsæ indigeat auxilio supernaturali ad elicendam dilectionem efficacem Dei ut authoris naturæ, hoc tamen non arguit ipsum in tali statu habere minores vires, quàm habuisset in statu naturæ puræ; quia hoc non provenit ex defectu potentiae, quæ per auxilium speciale ordinis naturalis in ordine ad talem dilectionem sufficienter completur; sed ex elevatione naturæ humanæ ad ordinem supernaturalem, ut cõclusionem secundà exposuimus.

222. Dices: Ex hoc sequitur quòd homo etiam in statu innocentiae non potuit diligere Deum ut authorem naturæ, sine auxilio supernaturali: Sed hoc est contra D. Thomam hinc art. 3. ubi ait, quòd *homo in statu naturæ integræ (quem status innocentiae includebat) non indigebat dono gratiæ superadditæ naturalibus bonis, ad diligendum Deum naturaliter super omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis:* Ergo &c. Sequela Majoris probatur: Homo in statu innocentiae de facto fuit ordinatus in finem supernaturalem: Ergo si ex elevatione naturæ humanæ in finem supernaturalem, homo in natura lapsa indiget auxilio supernaturali ad prædictam dilectionem, eo quoque egebat in statu innocentiae.

A Respondeo concedendo sequelam Majoris: cum enim homo in statu innocentiae, propter elevationem ad ordinem supernaturalem, & conjunctionem finis naturalis cum supernaturali, non posset implere omnia præcepta naturalia, & vitare omnia quæ impediabant amicitiam naturalem cum Deo, sine auxilio supernaturali ad observantiam mandatorum supernaturalium requisito; non poterat etiam, sine eodem auxilio, actum efficacis dilectionis Dei ut authoris naturæ elicere. Unde ad probationem in contrarium dicendum est, D. Thomam ibi loqui de statu naturæ integræ, præcisivè sumpto, & secundum id quod ex propriis assert donum integritatis, subjiciens appetitum inferiorem superiori; non verò de illo adæquatè sumpto, & prout reipsa fuit cum justitia originali, & gratia habituali, subindeque cum elevatione ad ordinem supernaturalem conjunctus: nam sub hac ratione non minus auxilium supernaturale ad actum dilectionis efficacis Dei ut authoris naturæ exposcebat, quàm status innocentiae, seu originalis justitiæ. Potest etiam dici, D. Thomam, loco citato, solum excludere à statu integritatis necessitatem auxilij supernaturalis, fanantis naturam, quod requirit in natura lapsa, non tamen negare necessitatem auxilij supernaturalis, eam elevantis ad ordinem supernaturalem.

§. IV.

Solvuntur alia argumenta ex statu naturæ puræ desumpta.

C Ontra tertiam conclusionem, in qua diximus hominem in pura natura constitutum non posse, cum solo concursu generali, Deum ut naturæ authorem efficaci amore diligere, in primis obijci potest autoritas D. Thomæ hinc art. 3. in argum. *Sed contra.* & quodlib. 1. art. 8. assertentis, secundum quosdam hominem fuisse constitutum in solis naturalibus, Deumque super omnia dilexisse. Quod etiam insinuare videtur hinc art. sequenti ad 3. dicens: *Præceptum de dilectione Dei non potest homo implere ex puris naturalibus, secundum quod ex charitate impletur.*

225. Respondet Curiel ex Conrado, D. Thomam per hominem constitutum in solis naturalibus intelligere hominem conditum cum integritate naturæ, quæ proveniebat à justitia originali: cum enim talis integritas non fuerit donum entitative supernaturale, inter naturalia computatur, subindeque cum illa rectè potest dici homo constitutus in solis naturalibus, quia nihil habet quod non sit naturale.

Sed hæc interpretatio non videtur legitima, nec ad mentem S. Thomæ: nam si per hominem constitutum in puris naturalibus intelligeret hominem cum integritate naturali, non diceret: *Homo in solis naturalibus constitutus fuit, ut a quibusdam ponitur;* cum ipsemet S. Doctor 1. p. quæst. 95. art. 1. doceat primum hominem fuisse conditum cum integritate naturæ, proveniente à gratia & originali justitia.

Meliùs ergo respondetur, D. Thomam in illis locis loqui de puris naturalibus, per exclusionem donorum supernaturalium, non verò per exclusionem gratuitorum intra ordinem naturæ: unde solum intendit, quòd homo in statu naturæ puræ posset diligere Deum ut authorem naturæ, absque auxilio entitative supernaturali, non tamen negat quòd indigeret ad talem dilectionem, & alios actus eximios & difficiles, auxilio speciali intra ordinem naturæ, ut nos asserimus.